



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Commentarivs Martini Lvtheri in Ionam Prophetam

Luther, Martin

Haganoæ, [15]26

VD16 B 3890

Cum deficeret a me anima mea, Domini recordatus sum, & uenit ad te  
oratio mea ad templum sanctum tuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35968**

I N I O N A M

deploratissime. Sed quid facit ita auxiliādo, audi.

Cum deficeret a me anima mea,  
Domini recordatus sum, & uenit  
ad te oratio mea ad templum san-  
ctum tuum.

Primū, Deus ad erigendū confirmādumq; animū,  
largitur donū gratiæ & spiritus, ut diuinæ misericor-  
diæ memor sit, utq; illas quas de ira apud se cogitatio-  
nes cōcepit, posthabeat, uertatq; se à Deo iudice, ad  
Deum patrem. Verū hoc humanarū uirū opus non  
est, siquidē Ionas hic testatur animam suam despera-  
tione superatā, apud se defecisse, ex quo palām fit, de-  
fectionem animæ suæ opus fuisse peculiare, & pro-  
prium. Quod uero Domini tam deficiente anima re-  
cordatus sit, & crediderit, hoc proculdubio animæ  
suæ opus haud quaquam fuit. Præter enim spiritus  
adminiculū, Domini memor esse potest nemo. Vbi ue-  
ro Dei recordatio cœlitus demissa in animo exoritur,  
protinus & noua luce illustrantur omnia. Hic iterum  
recuperandæ uitæ spes sese ostentat, & crescit ani-  
mo audacia inuocandi Dominum. Nec fieri potest,  
ut tandem surdis auribus repulsus, & spe frustra-  
tus abeat. Hoc enim est quod Ionas dicit in pri-  
mo uersū, se clamasse in tribulatione sua ad Domi-



COMMENTARIUS

num, & exauditum esse. Et hic consumata tunc erant mors, ira, peccatum, infernus, & quicquid occasionem præstabat parato exitio, deuictis & absumptis omnibus per fidem, quæ bonitate Dei suffulta est.

Porro quod dicit, & uenit ad te oratio mea ad templum sanctum tuum, iterum templum Hierosolymis extructum innuit, ubi Deus istuc ætatis habitabat corporaliter. Siquidem populo Israëlito ita in lege præceptum erat, ne alibi Deum adorarent, quam in loco à se præscripto et destinato, sicut dicit Exodus, ubicunq; nominis mei memoriã cõstituero, eò ueniam te benedicturus. Ad hunc modum cogebantur & ij qui in ea regione uel etiam degebant, adoraturi Dominum suas preces animumq; eò dirigere ad locum uidelicet à Domino præfixum, ubi Deus per uerbi sui præsentiam habitabat corporaliter, atq; eò quidem omnes orationes erant dirigendæ. Sicut nostra iam memoria nouit testamenti omnes christianorum preces ad Christum aduersum solum uertendæ sunt, qui nostrum est propiciatorum, ut alium Deum nec noscamus nec adoremus, præter hunc, qui in homine Iesu Christo corporaliter habitabat. Atqui nec alius, hoc excepto inueniri potest.

Cæterum qui custodiunt uana & mendacia, reliquerunt misericordiam.

Heb